

enascitur *Aurea* illa Arithmeticoꝝ *Regula Proportionum*, quam vulgò *Regulam Detri* sive de tribus Numeris Proportionalibus dicunt: sed & ex hæctenus dictis ratio per illam Regulam operandi fit evidens. Trium verò numerorum *Regula* quidem dicitur ideò, non quod ex tribus tantum numeris constet (revera enim quatuor terminorum est) sed, quod ex quatuor illis tres dentur, quartus quærat. *Aureæ* nomen inde habet, quod usus ejus sit incomparabilis, nec auro cõtra carus. Cumque nos etiam in seqq. eâ Regulâ usuri simus, non inconveniens duxi fore, si paulò altius ejus naturam persequar. Ut operatio commodè institui possit, incumbitur vulgò in eam saltem curam, ut, qui quæritur, ultimum locum occupet terminus. Hinc si, in exemplo proximi Theorematis

( Ut 2. ad 3. ita 6. ad 9. )

tertius terminus ignotus sit, disponuntur noti termini ita, ut 6. in ultimum locum ( quia scilicet ignotus est ) rejiciatur: concluditurq; Proportio ita:

Ut 3. ad 9. ita 2. ad Ignot:      Vel:

Ut 3. ad 2. ita 9. ad Ignot.

Deinceps multiplicatur tertius datorum per secundum, factusq; ex ijs dividitur per primum: siquidem ex quatuor Terminorum in quæstionem venientium Rectangulum extremorum æquatur Rectangulo medior. Verum, manente serie terminorum, ut prius,

Ut 2. ad 3: ita 6. ad 9.

quicumq; terminorum desit, possum nihilominus in ejus cognitionem pervenire. Namq; aut deest extremor. alteruter aut mediorum. Si illud: *multiplicentur dati medij inter se, eorumq; factus dividatur per extremum datum.* Si hoc: *multiplicentur dati extremi inter se, eorumq; factus dividatur per medium datum.* Desit ergo 2.

Ut Ignotus ad 3. ita 6. ad 9.

Factus ex 3. & 6. qui est 18, divisus per 9. exhibet ignotum 2. De-  
esto 9:      Ut 2.